

quam isti Indi, quod tamē fieri non arbitror.  
Et tandem consulo omnibus Animarum cu-  
ram gerentibus, vt si sint impopulo aliquis  
Indi callentes linguam Latinam, eis credāt  
tale officium, & faciant eos in scriptis ser-  
uare modum, quem debent inter Baptizan-  
dum habere. Atq; ita omnia adhabita dili-  
gentia ex parte vtriusq;, si aliquis deffec-  
tus aliquando contingat, Summus Sacer-  
dos Christus Dominus, qui est caput Eccle-  
siae supplebit. Admoneant etiam ipsos ne  
Baptizent nisi magna necessitas vrgeat, vt  
docet Doctissimus Pater Frater Michael de  
Gornales in Commentarijs Magistri Nico-  
lai de Orbellis, lib. 4. dist. 6. q. 6. Modum au-  
tem instruendi huiusmodi Indos inuenies  
in Confessionario linguae Mexicanæ, & vul-  
garis, fol. 63. & 64. quære ibi.

## DE BAPTISMO ADULTI.

47. **Q**uando Adultus petierit Baptismum,  
debet prius institui in fide, que est in Christo  
Iesu, competenti dierum spatio, ita ut suffi-  
cienter, iudicio prudentium, antequam Bap-  
tizetur, sic in fide instruatus. Debet enim  
scire Symbolum fidei, quia sic præcipit Ec-  
clesia